

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII
OECUMENICI VATICANI II

Schema “De vita et ministerio sacerdotali”

Intervento di Mons. Giocondo M. Grotti

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN III
PERIODUS TERTIA

PARS IV
CONGREGATIONES GENERALES XCVI-CII



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXIV

38

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI
Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Schema istud, praeter egregias dotes, etiam plures praesefert defectus, quorum nonnulli sunt communes cum aliis eiusdem Concilii schematibus, nonnulli sunt huius schematis proprii.

I. *Communes* sunt, seu mihi videntur, defectus qui sequuntur: 1. *Latinitas* expolienda esset, ne haec Concilii schemata sint multo humilioris linguae quam cetera magisterii ecclesiastici documenta hucusque lata; 2. non

dicam logicus, at saltem *perspicuus ordo* esset accuratius procurandus et curandus; repetitiones vitandae etc.; 3. *indoles*, ut ita dicam, « *musiva* » etiam in hoc schemate esset pro praxi removenda, etiam ob rationes pastorales, de quibus Concilium est satis sollicitum. Quando enim haec schemata in vulgares vertentur linguis, si musivum illum praeseferant characterem, indecora adspectu et difficilia legentibus apparebunt.

II. *Proprius* autem huic schemati *defectus*, saltem iste est quod, ac si *Liturgica Concilii Constitutio lata non fuisset*, et tanta in catholico terrarum orbe non adesset liturgica actualitas, vix de *Sacerdotum vita spirituali liturgica sermo est*, at tantum de « mentali oratione aliisque *huiusmodi pietatis operibus* » (pag. 9, linn. 37-38). Verum est, de his pietatis operibus dici « spiritu liturgico esse informanda »: at hoc et parum est et quid significat non clarum.

Sermo ergo *omnino et imprimis fieri* debet de *ipso sacrificio eucharistico* ac de *Divino officio* vel aliis, iuxta varios Orientis et Occidentis ritus, liturgicis precibus; ac *dein* tantum de oratione mentali aliisque « *huiusmodi pietatis* precibus.

Insuper, quoad hoc schema, proponi possunt quaedam animadversiones, suggestiones, quarum una est indolis generalis, aliae vero characteris *particularis*.

I. *Animadversio seu suggestio generalis* haec est, quod accuratius presiusque magnum de Ecclesiae schema recognoscatur, sive ad hoc ut capita ordine aptiori disponantur; sive ad hoc ut ad unumquodque ex his capitibus omnia reducantur quod pluribus minoribus decretis votisque disseminantur. Hic ergo esse posset novus *capitulum et materiae ordo*:

Cap. I. *De ipsa Ecclesia* (ubi etiam de familia seu populo Dei, quae praecise est Ecclesia).

Cap. II. *De B. M. Virgine, Matre Dei et Ecclesiae.*

Cap. III. *De ministris Dei et Ecclesiae*, ideoque potissimum de episcopis, sed et de sacerdotibus ac diaconis (ad quod caput *omnia* reduci deberent quae in aliis decretis votisque de eisdem dicuntur).

Cap. IV. *De consiliorum evangelicorum sectatoribus* (ad quod caput reduci deberet decretum de religiosis ac omne quod refertur etiam ad eos qui extra statum stricte religiosum dominica sectantur consilia).

Cap. V. *De laicis* (ad quod caput reduci deberent omnia quae alibi de eis eorumque apostolatu dicuntur: forte etiam materia decreti de matrimonio: sicut de sacramento Ordinis et de votis religiosis ubi de Dei ministris ac de religiosis erat sermo).

Cap. VI. *De universalis vocatione ad sanctitatem in Ecclesia ac de omnium advocatione ad Ecclesiam* (ubi disseri deberet praecise de sanctitate in Ecclesia et de omnibus ad Ecclesiam adducendis seu plene adducendis, scil. de oecumenismo etc.; de praesentia et actualitate Ecclesiae in mundo etc.).

Cap. VII. *De Sanctorum communione* (seu de indole eschatologica et unione cum Ecclesia caelesti: ubi deberet sermo fieri de Paradiso et etiam de Purgatorio etc.).

Si res ita disponerentur, vitarentur repetitiones aliaque inconvenientia; ipsum Concilium tres tantum ederet Constitutiones, pingues tamen et completas: de Ecclesia ipsa, deque eius supernaturalibus (liturgia) et naturalibus (instrumenta communicationis socialis) mediis ad salutem.

II. *Animadversiones seu suggestiones particulares*, scil. ad ipsum *de vita et ministerio sacerdotali* schema, prout nunc separatim se exhibet.

Pag. 7, lin. 1. « Sacrosancta haec synodus ». Dicendum est « quaenam » synodus, sive quia mos non est ut *in initio* Conciliarium Constitutionum dicitur « haec », sine addita Concilii specificatione; sive quia de posteris legentibus curandum est. Dicatur ergo: « Sacrosancta haec Vaticana II Synodus... ».

Pag. 7, lin. 4. « Naturam theologicam ». Est dictio quae scholasticam sapit, in decreto ac decretis ubi terminologia scholastica vix invenitur. Servanda est vel in aliam commutanda?

Pag. 7, linn. 5-6. « Eorumque missionem pastoralem declaravit, necnon de peculiari presbyterorum vocatione ad sanctitatem egit ». Cur « presbyterorum » tantum, et non etiam episcoporum?

Pag. 8, linn. 14-15. « Domino praecipiente ». Bonum est ut praeceptum istud appellationem ad quemdam Bibliae textum roboretur.

Pag. 8, linn. 37-38. « ... qui ... caelibatum ... voverunt... ». Verba haec de voto in subdiaconatus susceptione veluti inclusio intelligitur, an de religioso castitatis voto?

Pag. 9, linn. 23-26. Fere identica verba leguntur in *de Ecclesia*, cap. 4, ubi de presbyteris, at ibi ut observata, hic ut observanda. Quid interim factum est? Num fessi facti sunt?

Pag. 9, lin. 34 ad pag. 10, lin. 7. Quae ibi dicuntur, scribi possent etiam ad usum puerorum et veterarum, vel adscriptorum Actioni Catholicae vel Congregationibus Marianis etc., et non videntur sufficienter digna presbyteris, populi Dei patribus et magistris. Non enim imprimis sermo faciendus est de meditatione, licet praetiosa et non omittenda, sed de *sapienti ac fervida* arcani ac tremendi *sacrificii eucharistici* celebratione, ad maximam Dei gloriam, pro et *cum* populo; deque cultu in genere ad Ss. Eucharistiam; insuper de similis Divini Officii diei horas sanctificantis, ac lucem fervoremque communicantis, sapienti ac fervida recitatione; item de cultu erga Deiparam, Ecclesiae Matrem, potissimum liturgico, habendo, deinde contemplatione seu meditatione, iuxta varias probatas formas, numquam omittenda, de aliisve tandem pietatis operibus.

Quae hic dicuntur, eo proferuntur modo ac si constitutio conciliaris de *sacra Liturgia* numquam prodiisset.

Pag. 11, linn. 1-23. Non bene intelligitur quo sensu, pro sacerdotibus non in seminariis aliisve studiorum domibus congregatis, creari possit « stu-

diorum moderator », de quo in lin. 7. Bonum ergo videtur ut pars noviter introducta (linn. 13-16) transferatur ad n. 6 initium, introducentes, inter « sacerdotes » et « iuniores » verbum « praesertim », omniaque congruentius aptentur.

Pag. 12, lin. 36. Addendum est clericos quoscumque, ad quemlibet in Ecclesia gradum evectos, nullimodo posse testamentum in parentum favorem condere, nisi qua mensura exigitur ut vel de impensis pro ipso factis eos compenset, vel aegestati honeste et caritatively provideat, et quidem proprii episcopi aut Summi Pontificis venia obtenta?...

Pag. 13, lin. 13. Addendum forsitan est « aut ipsa episcopalnis conferentia ». Ita in n. 12?...

Pag. 13, in fine. Videtur incongruum claudere schema de sacerdotibus consideratione « pecuniaria ». Addatur conclusio spiritualis aliqua!